



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Collegiis Canonicoꝝ Per Germaniam, Belgivm, Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasqve Orbis Christiani Prouincias, Liber Singvlaris

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1615

Capvt XVI. B. Mariæ Et S. Vvagnvlphi collegium Condatense vulgò Condè,
in Hannonia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11227

bum Dei disseminasset, in Galliam transiuit; & Atrebatum primū prædicauit, postea Latiniaci & alibi. Ex canaldus, Maior domus regiae S. Furseo locū dedit Latiniaci, vbi monasteriū construxit. Aedificauit idem Princeps ei Peronæ alterum monasterium cum Ecclesia. S. Furseus autem suo exemplo multos insignes & sanctos prædicatores in Belgium euocauit, inter quos fuerunt germani eius fratres, *Foillanus & Vltanus*. Quare mirum non est Apostolicos Belgij nostri Episcopos, *Eligium & Aubertum*, quarto post obitum anno, corpus eius, quod omninò incorruptum Peronæ deprehendebant, è terra subuexisse.

Est autem Perona, vrbs Picardiae situ & aquis munitissima, in finibus regni Franciae, versus Belgas.

Latiniacum, Gallicè *Laigny*, opidum est diocesis Parisiensis, ad Sequanum fluuium.

Vtriusque opidi collegium, auspicia sua debet S. Furseo.

CAPVT XVI.

B. MARIAE ET S. VVAGNVLPHI
collegium Condatense vulgò Condè, in
Hannonia.

S Vvagnulphus Quilhort in Condato
= Hannoniae opido, & videtur annumerandum titularibus Episcopis qui ad Paganorum

conuersionem circa annum Christi 651 tēporibus S. Vincentij Hannoniæ Comitis venerunt. Testatur enim Vincentij historia, Beatum VVasnulphum sæpius ex Condato ad eum in Altum montem venisse.

Quædam Martyrologia nostratum Ecclesiarum sic habent: *Qui de Scotia insula marina veniens in saltum Therasciæ, in loco qui nunc vocatur Cella, multis diebus laudabilem vitam duxit. Postea verò ductu angelico ad Monasterium Dei genitricis Mariæ, Condatum nomine, perueniens, ibi vsque ad obitum Domino seruiuit.* Huc pertinent etiam Chronici Cameracensis verba ad Gerardum II. Episcopum: *Apud villam, inquit, Condatum quondam regalis fuit & diues Abbatia puellarum in honorem S. Mariæ virginis deinde præ inopia paucorum monasterium exstitit Canonicoꝝ. Vbi Sanctus VVasnulphus, transcurso feliciter huius vitæ studio, in pace quieuit, multis annis clarus miraculis. Scotus hic erat natione.* Est autem Condatum Hannoniæ opidum, in quo monialium loco, insigne Canonicoꝝ collegiū à multis iam sæculis resedit. Huius collegij Decanus, patrum memoria, fuit *Iosquimus Pratanus*, Musicus excellentissimus, qui primus ferè artem Musicam in ordinem redegit, multisque eam partibus auxit. Obijt anno Christi 1501. Condati Odeio ante aram summam conditus.

*Iosquin de
prè.*

Præbendas, vt vocant, Tredecim in Condatenſi B. Mariæ Virginis Ecclesia primus instituit.

stituit, Arnoldus Hannoniæ Comes qui & Hi-
bertū Cameracensem Episc. sedi suæ restituit.

Alias deinde Præbendas Arnoldi successores,
alijq; viri nobiles instituerunt. Ita manu
scripta Hannoniæ Chronica: sed Guisius pau-
lò aliter. Vide supra cap. 13.

CAPVT XVII.

S. FREDEGANDI COLLEGIVM

*Monasteriense Canonorum & Canonissa-
rum in Comitatu & d. Namurcensi.*

S Fredegādus Præsbyter ex Hiberina in
Galliam venit cum Foillano & alijs A-
postolicis viris. Locus verò in quo quiescit,
est Monasterium ad Sabim Fl. hodie Sambrā,
à B. Amando Episcopo traiectensi in honorē
S. Petri constructum, duobus milliaribus à
Namurco; vbi antiquitus fuisse congregationē
monasticè viuentē ipsum nomen indicat. Sed
nunc est collegiū Canonissarū, Est etiam cele-
bris S. Viri memoria in Turnino vulgò *Dorne*
apud Antuerpiam; ibi enim quieuit, ferturq;
is locus muris cinctus fuisse, cū ijs adhuc
Antuerpia careret. Qua autem de causa
inde translatum fuerit Sanctum corpus,
pulchrè explicatur in Beati Gummari trans-
latione, hisce verbis: *Normanni per Fluuium,*
qui dicitur Scinda, ad Villam Turninum deuene-
runt; vbi erit Monasterium S. Fredegandi Confes-
soris. Sed Deus propter iniquitatē habitantiū exosus

Locum